



Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Q. 2. Unde dignolci possit, quòd somnia aliquos effectus futuros
significantia sint à Deo, vel à Dæmone?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

fidem somniis habendam homines attrahat: unde rectè Valentia *citt. q. 12. p. 3.* ait tunc vel maximè cavendum esse, ne somniis assentiamur, cum eventu comprobari videntur, ob ante allatam rationem.

- 69 Ad 2. Q. discernere à qua causa somnia proveniant, an scilicet à naturali, anue à Deo, vel à Dæmone, perquam difficile est; cum enim à qualibet ex his causis possint provenire, quis de illis justum, tutumque feret iudicium, & conjecturam? Unde Confessarii, & prudentis, probique Viri erit, ea, eoque modo, iisdemque regulis discernere, quibus divinæ revelationes à falsis discernuntur ut ait Delrius *l. c. conclus. 5.* ubi fasè explicat, quibus indiciis divina revelatio à Diabolica secernatur.

Valentia cum aliis *l. c.* breviter duo indicia, seu signa affert, ex quibus id conjectari possit, desumpta ex somniorum fine, & effectu, quem somnia post se relinquunt.

Primum est, considerare, ad quid somnium impellat, si enim somnia sint inhonesta, vel ad malum impellant, aut animum turbatum, vel tepidum, & ad virtutem indispositum relinquunt, haud obscurum est indicium, ea à malo spiritu immitti.

Secundum. Si somnia sint honesta, & hominem promptiorem reddant

ad benè operandum, animumque serenum, ac pacatum relinquunt, probabile est indicium à Deo provenire non tamen certum; cum sæpe Dæmon in Angelum lucis se transfiguret, ut facilius postea decipiat, & vana, ac falsa ex somniis suadeat, & repræsentet. Quando autem facta investigatione dubium est, an somnium sit à Deo, vel à Dæmone, tutissimum est, illud, ut à Diabolo immissum, contemni, ut docet *citt. Delrius cum aliis*; Quia Deus, cum aliquid per somnum significare intendit, solet talibus circumstantiis somnium vestire, ut de eo somniantem certum reddat, ut notat cum aliis *citt. Suarez cap. 13. n. 20.* Quapropter consilio Confessarii, vel prudentis Viri in hac parte standum erit, neque proprio iudicio fidendum.

Ad 3. Q. an pretium receptum pro usu, & exercitio magicæ artis sit restitutioni obnoxium? Respondent aliqui cum Gratiano *cap. qui habetis 14. quæst. 5.* illud, tanquam turpe lucrum, restituendum esse pauperibus, præsertim si effectus intentus non obtineatur. Tum quia est malè acquisitum & videtur tunc cessare voluntas concedentis, tum quia ob turpitudinem commissam videtur dans privatus esse jure illud recuperandi. Sed Melius alii distinguunt cum Sanch. *l. c. n. 96. Palao l. c. p. 13.* aliisque; & quidem si maleficus suæ artis concius, operam suam apposuit, & media, quæ sibi